...siones



CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

ex Tractatu DE DEO.



I.

Essentia DEI Metaphysicè sumpta, definitivè, est Ens a se, seu sufficiens sibi ad esse; ex quo prædicato Aseitatis cætera deduci possunt. Eadem Essentia Divina Physicè spectata constituitur realiter non solùm prædicatis absolutis communibûs, sed etiam Personîs, idq; omnibûs & singulîs determinatè, juxta illud Anselmi: C. 14. Mon. *Summa illa Essentia, quidquid aliquomodo essentialiter est, hoc est totum, quod est.*

II.

Hæc propositio *DEUS existit,* est per se nota, etiam quò ad nos; saltem respectu intellectûs Sapientum, quibus termini ejusdem propositionis sunt bene perspecti, juxta illud Doctoris Seraphici in Lib. Dist. 8. P. 1. Ar. 1. q. 2. *Tanta est Divini esse veritas, ut cum assensu non possit cogitari non esse, nisi propter ignorantiam, quid per nomen DEI importatur.* Hinc dicta propositio: *DEUS existit,* est principium lumine naturæ notum, certum & evidens Metaphysicè respectu ejusdem intellectus, ita sicut hoc vg. Philosophicũ: Omne totum est majus sua parte.

III.

Existentia DEI est demonstrabilis primò & principaliter Theologicè, deinde Philosophicè à posteriori, imò etiam quasi à priori, ac concomitanti.

IV.

Non poteſt dari ignorantia poſitiva invincibilis inculpabilis, Exiſtentiæ DEI, in illis, qui plenum habent rationis uſum. Nam juxta Auguſtinum in Pſalm. 74. *DEUS ubique ſecretus eſt, ubique publicus; quem nulli licet, ut eſt cognoſcere, & quem nemo permittitur ignorare.* Non poteſt quoque dari ignorantia negativa invincibilis inculpabilis exiſtentiæ DEI toto vitæ tempore, in illis qui plenum habent rationis uſum.

V.

Imò ſuppoſito (quod ſentit D. Thomas 1ma 2dæ Quæſt: 89. Artic: 6. ad 3tium) quòd quilibet homo primo inſtanti uſus rationis teneatur omnino ſub peccato gravi converti ad DEUM, implicat ut in eodem homine habente uſum rationis primo inſtanti detur ignorantia invincibilis & inculpabilis ſive, poſitiva ſive negativa exiſtentiæ DEI.

VI.

Cum Eſſentia Divina realiter ſit quoque tres Perſonæ, citra ſui multiplicitatem, ut loquitur Concilium Lateranenſe Cap. *Firmiter: Tres quidem Perſonæ ſed una eſſentia, natura ſeu ſubſtantia indiviſibilis ut pote omnino ſimplex.* Huic eſſentiæ Divinæ & Perſonis competunt contradictoria verè talia, realia, immediata, actualia, eſſentialia, ut ex eodem Concilio Cap. *Damnamus,* colligi poteſt.

VII.

Nihilominus quamvis de Eſſentia Divina Theologicè ſumpta & Perſonis verificentur juxta Fidem prædicata contradictoria; ad illa tamen & ad Myſterium Trinitatis ſalvandum ab chymæreicitate contra Infideles, nulla datur diſtinctio nemine cogitante talis, inter Eſſentiam Divinam & Perſonas.

VIII.

Proinde Eſſentia Divina Theologicè ſumpta non diſtingvitur a Perſonis realiter adæquatè immediatè diſtinctione excludente omnem omnino identitatem realem immediatam Eſſentiæ cum Perſonis. Non diſtingvitur item tanquam modus a modificatis. Neq; realiter immediatè inadæquatè diſtinctione miſta identitati reali immediatæ cum iiſdem Perſonis. Neq; diſtingvitur diſtinctione reali inadæquatâ mediatâ extenſivâ & in tertio. Non datur item inter Eſſentiam Divinam & Perſonas diſtinctio aliqua media inter realem & rationis, ſive ſit virtualis intrinſeca, ſive formalis ex natura rei.

IX.

IX.

Verùm in fundamento contradictoriorum verificabilium de Essentia Divina & Personis, datur inter Essentiam Divinam & Personas sola distinctio rationis ratiocinatæ, idq; ad mentē Concilii Florentini sess. 24. *Pater est indistinctus ab Essentia, & non intelligitur habere distinctam Essentiam ab Hypostasi; non enim re, sed sola ratione distingvitur Paterna Hypostasis a sua Essentia.*

X.

Proinde contradictoria immediata realia dicta de Essentia & Personis non possunt salvari per aliquam distinctionem nemine cogitante talem. Jmò licèt daretur aliqua ex his distinctio nemine cogitante talis inter Essentiam & Personas per illam non possent salvari sufficienter admissa contradictoria.

XI

Jtaque contradictoria realia immediata sufficienter salvari possunt & salvantur sine omni præfata distinctione n. c. tali, supposita sola distinctione rationis per Supereminentiam Trinitatis Divinæ supra lumen naturæ, & supra principia lumine naturæ nota; seu per id, quod S. Damascenus Lib. 1. Fidei Orthodoxæ Cap. 8. dicit: *SuperSancta Trinitas est Supereminens ultra omnia, omni principio & ordini superlocata.*

XII.

Prout Trinitatem Divinam, ita esse supereminentem clarè affirmat Augustinus Tomo. 3. Libr. de spiritu & anima Cap. 22. dicens: *Quædam sunt infra rationem, quædam juxta rationem, quædam supra rationem. Infra rationem sunt, quæ sensu percipimus; sicut dura & mollia, calida & frigida, candida & nigra. Juxta rationem sunt, & pervia rationi, quæ ratione percipimus; sicut commoda & incommoda, vera & falsa, justa & injusta. Supra rationem sunt, quæ nec sensus docet, nec ratio persvadet, sed aut Divina revelatione comprehenduntur, aut Divinarum Scripturarum auctoritate confirmantur, sicut Deum esse in una substantia trinum, & in tribus Personis unum.*

XIII.

Proinde omnia argumenta infidelium impugnantia possibilitatem Mysterii Sanctissimæ Trinitatis solvuntur sufficienter per eandē Supereminentiam; adeoq; etiam per id solùm, quod est de Fide, conformiter ad mentem Angelici Doctoris. 1. Parte Quæs. 32. Art. 1. dicentis: *quæ fidei sunt, nonsunt tentanda probari, nisi perauctoritates his, qui auctoritates suscipiunt; apud alios verò sufficit defendere non esse impossibile, quod prædicat Fides.*

XIV.

XIV.

Præter hunc modum ſalvandi myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis ab chymæreicitate nullus alius eſt ſufficiens, ſive ſit per recursũ ad reſpectum identicum, ſive ad diſtinctionem connotativam, ſive ad quidpiam aliud.

XV.

Datur in Deo intellectus, tam per modnm actûs primi, quàm per modum actûs ſecundi; datur quoque ratio ſpeciei intelligibilis conformiter ad doctrinam S. Thomæ hic Quæs. 14. Artic. 4. in Corpore dicentis: *In Deo intellectus & ſpecies intelligibilis ſunt omnino unum & idem.* Datur itẽ ſcientia propriè dicta; quæ rectè dividitur in ſcientiam Simplicis intelligentiæ, Viſionis & Mediam inter ſcientiam Simplicis Intelligentiæ ac Viſionis.

XVI.

Proinde datur in Deo Scientia Media, per quam Deus cognoſcit certò & infallibiliter quævis futura conditionata dependentia a libertate creata futura ſub conditione aliquomodo conducente ad futuritionem conditionati. Eadem futura conditionata dependentia a libertate creata non cognoſcit DEUS in aliquo Decreto prædeterminativo abſoluto ex parte ſubjecti, conditionato ex parte objecti. Quod Decretum prædeterminativum ad unam contradictionis partem eſt contra D. Thomam, in 2dum ſent. Diſtin. 30. Quæſt. 2. Artic. 1. dicentem: *Ipſa potentia voluntatis, quantum in ſe eſt, indifferens eſt ad plura; ſed quod determinatè exeat in hunc actum vel illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.*

XVII.

Cognoſcit verò illa in ſeipſis prout clarè Angelicus Doctor 1mâ Parte Quæs: 14. Artic. 13. in Corpore dicit: *DEUS cognoſcit omnia contingentia non ſolùm prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout unumquodque illorum eſt in ſeipſò.* Actus quoque noſtros liberos abſolutè futuros DEUS cognoſcit determinatè & infallibiliter in ſeipſis, ſalva eorum libertate.

XVIII.

Non cognoſcit autem illos in præſentialitate eorundem æternitati Divinæ ab æterno; neq; in aliquo medio a priori connexo metaphyſicè cum exiſtentia eorundem actuum. Poteſt tamen dici, quod illos cognoſcat in Decreto prædefinitivo actuum eorundem bonorũ, ac permiſſivo malorum, directo per Scientiã Mediã.

XIX.

XIX.

Actus Divini liberi non identificantur realiter adæquatè DEO potentes dare nunc hanc, nunc illam denominationem ratione Eminentiæ ac Infinitudinis. Neque identificantur realiter adæquatè DEO, ita ut ab illo diſtingvantur realiter inadæquatè extenſivè aut virtualiter intrinſecè, ſive formaliter ex natura rei.

XX.

Jidem actus Divini liberi præter entitatē Divinam debent dicere aliquid extrinſecum DEO non tamen ab æterno exiſtens; ſive modum ſpecialem extrinſecum diſtinctum ab objecto volito & ab actione productiva rei. Potius præter entitatem Divinam dicunt eſſentialiter immediatè actionem productivam rei volitæ aut negationem actionis productivæ rei nolitæ.

XXI.

Prædeſtinatio ad gloriam ut coronam eaq; abſoluta & efficax facta eſt poſt prævisa abſolutè merita ſupernaturalia Prædeſtinatorū, juxta illud Auguſtini: non præcedit electio juſtificationem ſed electionē juſtificatio. Similiter reprobatio ad pœnam facta eſt poſt prævisa abſolutè demerita reproborum.

XXII.

Perſonalitates Divinæ dicunt formaliter perfectiones ſibi proprias ſimpliciter tales, ut ait S. Cyril: L. 1. Thes. C. 6. *Perfectus eſt, non ſolum quà Deus, ſed etiam, quà Pater eſt.* Eædem Perſonalitates diſtingvuntur inter ſe realiter, nec non conſtituuntur realiter Eſſentiâ Divinâ Theologicè ſumptâ. Et ſi non conſtituerentur dictâ Eſſentiâ Theologicè ſumptâ, tunc contradictoria quæ verificarentur in hoc caſu de Eſſentia & Perſonis non poſſent ſalvari per Supereminentiam ſimpliciter talem; & multò magis per diſtinctionē inadæquatam mediatam in tertio.

XXIII.

Non datur in DEO ſubſiſtentia abſoluta communis omnibus & ſingulis Perſonis Divinis; prout Damaſcenus in Epiſtol. de Triſagio: *Non eſt communis una ipſarum Hypoſtaſis.* Quamvis Trinitas Perſonarum in Myſterio Trinitatis non poſſit cognoſci ex ratione naturali; poteſt tamen cognoſci Perſona, ita ut ſi quis cognoſcat Deum, eo ipſo debeat cognoſcere Perſonam.

XXIV.

Sola proceſſio ſecundæ Perſonæ in Divinis eſt generatio, quæ eſt origo in ſimilitudinem ſui principii per hoc, quòd ſolus Fi-

lius procedit ut VERBUM, Imago Patris; aſſentiente D. Thoma, hìc Quæs: 35. Articul. 2do. in Corpore: *Filius procedit ut Verbum, de cujus ratione eſt ſimilitudo ſpeciei ad id, à quo procedit.* Principium productivum Filii in Divinis eſt aliquid relativum tenens ſe ex parte Patris, ſimiliter productivum Spiritus Sancti tenens ſe ex parte principii ſpirantis. XXV.

Si per impoſſibile Spiritus Sanctus non procederet à Filio ſed tantùm à Patre, tunc non diſtingveretur realiter ab illo.

De Jure & Juſtitia.

XXVI.

Jus proprietatis intrinſecum definitivè eſt poteſtas legitima, validè ac plenè diſponendi de re, ordinata directè & principaliter in bonum ſui ſubjecti. XXVII.

In re autem eſt ipſa potentia libera habentis idem jus, completa per legem aliquo titulo faventem.

XXVIII.

In inſtanti donationis abſolutæ & validæ, plenum & proximum dominium rei donatæ eſt penes ſolam Donatarium, non verò etiam penes Donatorem. XXIX.

Penes hunc enim implicat prædictum dominium.

XXX.

Adeoq; pro hoc inſtanti implicat tale dominium, tam penes Donatarium, quàm penes Donatorem.

XXXI.

Promittens pretiũ, aut mercedem pro patrata actione illicita non obligatur juſtitialiter ad ſolvendum Patratori, juxta legem, *Generaliter* ff: de verborum ſignificatione; ubi dicitur: *Generaliter novimus turpes obligationes nullius eſſe momenti.*

XXXII.

Pariter promittens Simoniacè pretium non obligatur juſtitialiter ad ſolvendum Patratori Simoniaco; ut ait Doctor Angelicus 2dâ 2dæ. Quæſt. 32. Artic. 7. *Simoniacus contra juſtitiã ſive accipit, ſive dat; & contra juſtitiam legis Divinæ agit.*

XXXIII.

Poteſtas validè revocabilis utendi licitè rebus unico uſu conſumptibilibus eſt diſtincta ab omni dominio.

XXXIV.

Unde Fratres Minores etiam penes Communitatem non habent dominiũ ullius rei per unicum uſum conſumptibilis. XXXV.

XXXV.

Dominium directum etiam Matrimoniale ſpectato jure ſive poſitivo ſive naturali eſt perpetuò ſeparabile ab omni uſu ejus.

XXXVI.

Qua ratione optimè conciliatur Matrimonium Beatiſſimæ Virginis cum voto Caſtitatis perpetuæ.

XXXVII.

Clerici ſæculares non habent dominium in partem ſuperfluam redituum ex beneficiis Eccleſiaſticis juxta illud Rhemenſis Concilii. Cap: Inquirendum: *Omnia quæ habet Clericus ſunt Eccleſiæ, præter id, quod ad congruam ſuſtentationem deducit.*

XXXVIII.

Non eſt de ratione dominii pleni ut ſit abdicabile. Etſi enim omne omnino dominium creatum ſit abdicabile.

XXXIX.

Non tamen dominium Divinum ſive eſſentiale ſive accidentale generale. Etſi enim S. Pater JGNATIUS cenſebat dominiũ creatum etiam in actus noſtros internos eſſe abdicabile ſaltem in Deum, cùm orabat: *Suſcipe Domine univerſam meam libertatem &c.* non tamen id de dominio Divino prædicto autumabat.

XL.

Chriſtus Dominus quà Homo in hac vita mortali habuit jus tam proprietatis, quàm juriſdictionis remotum temporale directum generale in omnes res univerſi. Hinc meritò inquirebant SS. tres Reges: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?*

XLI.

Simile dominium & Beatiſſima Virgo habuit titulô Maternitatis, atteſtante S. Athanaſio in Evangelia: *Quandoquidem ipſe Rex, qui natus eſt ex Virgine, idem Dominus eſt & Deus; ea propter, & Mater quæ Eum genuit, & Regina & Domina & Deipara propriè & verè cenſetur.*

XLII.

Juſtitia ſtrictè talis definitur eſſe virtus moralis obſervativa juris proprietatis alieni.

XLIII.

Hæc rectè dividitur in commutativam, & non commutativam.

XLIV.

Utraque autem eſt eſſentialiter ad alterum juxta illud S. Thomæ 2dâ 2dæ Quæſt: 58. Artic. 2do in Corpore: *Juſtitia ergo propriè dicta requirit diverſitatem ſuppoſitorum.*

XLV.

XLV.

Etsi eadem justitia stricta non potest dari in DEO erga creaturã, juxta illud Augustini Lib. 3. de libero arbitrio: *Quid ei erogas, ut tanquam debitum poscas?* Et Anselmus in Psalm. Cap. 10. *Iustus es, non quòd nobis reddis debitum, sed quia facis, quòd decet Te summe bonum.* Tamen in creatura datur hæc justitia stricta erga Deum.

XLVI.

Implicat unius debiti multiplex solutio adæquata in actu 2do rigorosè justitialis, sive successiva, sive simultanea. Ut patet ex illo Doctoris Angelici 1mâ 2dæ 99. 5. ad 1mum: *Sola justitia inter alias virtutes importat rationem debiti.* Et 2dâ 2dæ 58. 1. ad 6tum: *Iustitia unicuique reddit, quod debet.*

XLVII.

Satisfit obligationi justitiali, etsi observetur jus alienum non ex motivo virtutis justitiæ strictæ. Ut colligitur ex illo S. Thomæ 1ma 2dæ: 96. 3. ad 2dũ. *Aliquis act9 dicitur esse virtutis 2pliciter. Uno modo ex eo, quòd homo operatur virtuosa; sicut act9 virtutis est facere recta, & actus fortitudinis facere fortia. Et sic lex præcipit aliquos actus virtutum. Alio modo dicitur actus virtutis, quia aliquis operatur virtuosa, eo modo, quo virtuosus operatur; & talis actus semper procedit a virtute nec cadit sub præcepto legis.*

XLVIII.

Judex delegatus non potest licitè in causis sive civilibus, sive ullis criminalibus condemnare nocentem quidem per allegata, sed innocentem ex certa sua Judicis notitia privata. Nam Exodi 23. DEUS prohibet: *Non suscipies vocem mendacii, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ ut à vero devies.*

XLIX.

Satisfactio Christi pro peccatis nostris non fuit purè & rigorosè justitialis, utpote superabundans, juxta illud ad Roman. 5. Ubi abundavit delictum superabundavit & gratia.

L.

Pura creatura potest adæquatè justitialiter satisfacere pro offensa mortali Theologicè, prout hæc est injuria realis.

Ad M. D. G. T. U. G. M. Æ. S. H. SS. CC. & V.

Defendentur publicè in Aula Collegii Lublinensis Soc: JESU ab Eodẽ qui Supra. 1732. Mense Junio.

